



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. Leo Imp. de eadem causa scripserat ad Euxitheum. Is verò convocata synodo Illyriciana, Eutychem, Dioscorum, & Timotheum anathematizavit, synodum verò Chalcedonsensem confirmavit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

copi, adeo que Romanus, moneantur synodici literis Anatolij, nullum in hoc discrimen ponentes inter Episcopum Romanum & ceteros, nisi quod eum primo loco nominant. porro totam rei gerendae auctoritatem in Anatolio constituunt, Papam etiam Leonem illi debere subijci innuentes. Anatolius vero magna auctoritate usus, literas quaeversum scripsit ad omnes Metropolitanos, praecipue vero ad Romanum, ut ipse docet in epistola ad Leonem Imp. scripta, & constat etiam ex epistola LXXIV. sancti Leonis. Vnde colligitur cogitasse Anatolium de acquirenda sedi suae amplissima auctoritate, ad exemplum Papae urbis Romae. Nam & canon XXVIII. Chalcedonensis in hunc sensum conceptus est.

V. Acceptis ergo literis Anatolij, Leo Papa ad Leonem Imperatorem rescripsit debere eum dare operam uti catholicis Episcopis in Alexandrina Ecclesia constitueretur, & ne quid cuiquam liceret adversus Concilium Chalcedonense. Scripsit de eadem causa ad Anatolium, ejus literis respondens, tum etiam ad Basilium Episcopum Antiochenum, Iuvenalem Hierosolymorum, & Euxitheum Thessalonicensem, Kal. Septembr. Constantino & Rufo Consulibus, ut eorum cura innotesceret Episcopis earum partium quanam esset Leonis sententia de fide Concilij Chalcedonensis & de scelestis Timothei Aelurifacioribus. Scripsit, inquam, ad Euxitheum Episcopum Thessalonicensem; ut quia is omnibus Episcopis Illyricianis praeratur auctoritate sedis suae & ex privilegio sedis apostolicae, subiectos sibi Episcopos faceret certiores de toto isto negotio. in quo maxime versabatur Primatum dignitas. Extat Leonis epistola ad Euxitheum in eodem codice M S. Cardinalis Grimani, rei gestae seriem referens, ex qua nos sequentia descripsimus quae faciunt ad institutum nostrum: *Cognitis quae apud Alexandriam hereticorum furore commissa sunt, — fraternitatem vestram credidi admonendam ut sceleratis ausibus sancta constantia resistatis, ne in quoquam nostra communis fides aut repida inveniatur aut trepida. Ut autem haec cohortatio ad omnium fratrum nostrorum & coepiscoporum per Illyricum possit notitiam pervenire, diligentiae vestrae cura prospiciat: quia, quod saepe dicendum est, tota religio Christiana turbatur, si quicquam de his quae apud Chalcedonem sunt statuta convellitur.*

VI. Antea quidem Leo Augustus de eadem causa scripserat ad Euxitheum, uti convocatis Illyricianis Episcopis, quid in commune sentirent de Timotheo & de Chalcedonensi Concilio ad ipsum rescriberet; ut colligitur ex elencho Episcoporum ad quos

missae sunt ejusdem Imperatoris literae, subiecto epistolae ad Anatolium scriptae in appendice Concilij Chalcedonensis. Nam post descriptam Leonis Imp. epistolam ad Anatolium, admonet collector similem epistolam missam esse aliis Metropolitanis Episcopis, quorum nomina & Ecclesiae recensentur. Tum vero, ut docet auctor libelli synodici, Eudoxius Episcopus Thessalonicensis (sic enim vocat eum qui alibi vocatur Euxitheus) synodum congregavit, quae Euxichem, Dioscorum, & Timotheum anathemate notavit, sacram vero Chalcedonensem synodum confirmavit.

VII. Cura istius ab Imperatore Leone suscepta, tum consensus Episcoporum universi orbis pro defensione Concilij Chalcedonensis adversus Aegyptios, id est, Timotheum Aelurum & sequacines ejus, meminit etiam Eulogius Alexandrinus in libro de laude vitae solitariae, in qua haec inter cetera scribit teste Photio: *Narrat à Marciano Chalcedonensem synodum coactam, Leonem Marciano mortuo suspectum summeverum praefuisse, Aegyptios Concilium evertere conatos orbem totum tumultibus implese, impiè sicque rumores sparsisse Cyrillum à synodo damnatum, Nestorium receptum fuisse. Quorum, inquit, insanum furorem reprimens Leo, decreta Concilij Chalcedonensis aetiaque cum encyclicis seu circularibus mandatis per totum orbem misit, singulisque Episcopis & Presbyteris necnon iis qui in religiosa & monastica vita celebres habebantur praecipit uti sententiam suam scripto profiterentur. Quod Episcopi numero mille sexcenti promptè sane executi sunt, nemine qui aliter sentiret deprehensio praeter Amphilochium Side Pontificem, qui tamen & ipse paulò post Concilij sententiae subscripsit consentique.*

## CAPVT XXIX.

## Synopsis.

I. Investigandum deinceps superest quonam demum tempore desierit magna illa Thessalonicensis Episcopi auctoritas in Illyrico. Tum etiam agendum de vicariatu Archiepiscopi prima Iustiniana & Episcopi Corinthiensis.

II. Prima adversus Thessalonicensem Episcopum tentamenta fuere a Theodosio junioris, dein sub Sixto III. Papa, tum sub Leone primo, irritis semper conatu. Sed Archiepiscopus prima Iustiniana felicior fuit quam ceteri.

III. Iustiniana prima, sive Achrida, Iustiniani Augusti patria. Archiepiscopo civitatis illius Imperator subiecit sex provincias, in quas jus omne abrogat Episcopo Thessalonicensi.

IV. Insistit deinde apud Agapetum Papam uti huic Archiepiscopo committerentur vices sedis apostolicae. Sed is assensum Iustiniano noluit.